DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

Hepatis Inflammatione.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

SAMUEL MACAY,

HIBERNUS.

Soc. Chem. Sod.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos,

M,DCC,LXXXV.

Celſo ac nobiliſſimo viro,

GEORGIO MACARTNEY,

Baroni de Macartney,

Honoratiſſimi Ordinis Balnei Equiti,

&c. &c. &c.

Morum humanitate,

Omnibuſque caeteris virtutibus,

Inſigniter ornato,

Ob magna in ſuos beneficia collata,

Haſce ſtudiorum primitias,

Maxima obſervantia,

Sacras eſſe

Voluit

SAMUEL MACAY.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

Hepatis Inflammatione.

HEPATIS inflammatio, a quibuſdam auctoribus, rariſſime ſeſe offerre dicitur; quod tamen ex auctoritate ſcriptorum magni nominis, ac phaenomenis quae, ſectis cadaveribus, ſe obviam tulere, nobis denegare licet. Nil dubium quin rarius extitit in his quam plagis calidioribus, ubi ſaepenumero ſe oſtendit; hac ratione vero haudquaquam attentione indigna. Quod haud dubie cuique facile perſuadebitur, ſecum reputanti, quibus maximi momenti

functionibus in oeconomia animali hoc viſcus inſervit, quantumque periculi huic, illo neglecto, imminet.

Hepatitis a Sauvageſio in ſpecies complures dividitur, ſicuti eryſipelatoſam, pleuriticam, &c. Sed quatenus hoc aequum ſit, neque ſatis conſtat, nec, fateor, quid in praxi proſit, compertum habeo.

Illa praeſtantius dividatur in ſpeciem acutam et chronicam ; quoniam hae revera inter ſeſe differre videntur. Namque illa ſemper quoſdam habet characteres, quibus eam ſubeſſe non temere concludimus: Haec vero ſaepe nullos. Et profecto adeo mitia hujus ſymptomata ſunt, ut non ſolum medico in dubio ſit, eam inſtare, ſed ne quidem ab ipſo aegroto percipi poſſit, donec eo pervenerit ut ingens intentat periculum. Itaque, hac ſpecie penitus praetermiſſa, de hepatitide acuta ſolummodo tractare ſtatuimus.

Hujuſce morbi definitionem noſologi quidam, minime perfectam, tradiderunt: Sed Cullenus noſter celeberrimus ſolertia ingenii

ingenii ſibi propria deſcriptionem illius longe praeſtantiſſimam exhibuit, quam ideo exſcribere fas ſit.

DEFINITIO.

‘ Pyrexia, hypochondrii dextri tenſio, et ‘ dolor ſaepe pungens, pleuritici inſtar, ſae-‘ pius obtuſus ; dolor ad claviculam et ſum-‘ mum humeri dextri ; decubitus in ſiniſ-‘ trum latus difficilis ; dyſpnoea ; tuſſis ſic-‘ ca ; vomitus ; ſingultus.’

HISTORIA MORBI.

Morbus ſolitis cum ſymptomatis pyrexiae incipit. Ægrotus ſenſum habet frigoris, quod cito excipiunt calor, et ab omni parte moleſtia. Dolor ſaepius obtuſus, una cum calore

calore inſigni, hypochondrium dextrum afficit; nec raro lobum ſiniſtrum uſque ad cordis ſcrobiculum pertingit. Preſſura quoque ut et reſpiratione, praecipue vero inſpiratione, multum ingraveſcit. Sitim aegrotus initio queritur, quae progrediente morbo magis magiſque urget. Cutis plerumque calida aridaque. Pulſus ſaepe plenus, durus, et validus, interdum vero mollis atque frequens. Semper fere tuſſis ſubeſt, nonnunquam humida, ſaepius autem ſicca. Adſunt plerumque ſingultus atque vomitus, et hic bilioſus ſane praecipue, qui rariſſime concava hepatis parte affecta laceſſere deſinit. Multum efficitur doloris in latus ſiniſtrum decumbendo; et ſaepe aegrotus non ſine moleſtia in dextrum decumbit; qua ratione quiete modo fruitur ſupinus. Dolor interdum pungens claviculam et ſummum humeri dextri petens, hunc morbum ſemper fere comitans, ſymptoma eſt, quod affecta praeſertim hepatis ſuperficie convexa fieri dicitur. Hypochondrio admota preſſura dolor ſubito augeſcit;

geſcit: Eademque amota aeque ſubito levatur. Facies flava interdum ſubeſt; aliaque ſigna icteri; hoc vero ſolummodo evenit, poſtquam inflammatio ad fellis veſiculam uſque, vel ad quoſdam e poris biliariis, ſeſe extendit. Alvus nonnunquam proluvie laborat; ſaepius autem adſtringitur.

Lingua, quae raro pura, ſaepe cruſta ſubflava obtegitur, atque aeger ſaporem plerumque ingratiſſimum perſentit. Cum morbus ad certum ſtadium pervenerit, torporem dextrum brachium, femur, cruſque corripuiſſe notatum eſt. Hic morbus ſuperficiem convexam ſaepius quam concavam tenere fertur: Tamen inflammationem ſemet totam per hepatis ſuperficiem porrigere, viſceraque contigua invadere poſſe conſtat.

Exitus hujus morbi cum exoptandus, tum etiam, ſi initio illius ſatis fuerit curae, frequentiſſimus reſolutio eſt. Hac ratione finito, ſymptomata paullatim vi ſua amiſſa, partiſque textura incolumi, prorſus recedunt. Diarrhoea bilioſa ſaepe reſolutionem

ante-

antecedit: Aliquandoque faeces ſanguine ſunt admiſtae propter haemorrhoida, quam auctores hunc eventum felicem indicare obſervarunt. Haemorrhagia e nare dextra, ſudor calidus atque copioſus, urina multum ſedimenti dimittens, reſolutionem comitantur.

Nec forſan expectorationem et eruptionem eryſipelatoſam ſilentio praetermittere fas ſit. Si paucis in diebus poſt morbi impetum nulla ex his ſignis fauſtiſſimis ſe oſtenderint, inflammationiſque ſymptomata magis magiſque ſaevire videantur, timendum ne ſuppuratio ſupervenerit, quam horrores, quibus tunc temporis aegrotus laborat, pulſus plenus et mollis, una cum partis pulſatione, haud dubie jam extare indicant. Quinetiam tumorem in hypochondrio evidentem eſſe veriſimile eſt, ac forſan percipi poſſit fluctuatio.

Hoc morbi ſtadium eſt quo extremorum torpor, de quo ſupra diximus occurrere notatur. Auctores ſchirrum ſub finem hujus morbi accedere memorant. Rem aliquan-

do

do ita ſe habere minime denegare vellem: ſed nonne ſchirrus quibuſdam in exemplis potius pro hepatitidis cauſa quam effectu habendus ſit?

Necnon de gangraena, ut morbi hujus ſequela, quidam mentionem fecere. Sed quandocunque ita eſt, ſpem omnem aegrotantem ad ſanitatem redigi poſſe vanam atque irritam exitus infauſtus efficit: Cujus inſtantis debilitas inſignis amotuſque dolor clara exhibent indicia.

DIAGNOSIS.

Morbi, qui praeſertim in errorem abducere poſſunt, diagnoſin facientes, pleuritis ſunt, gaſtritis, enteritis, externorumque tegumentorum inflammatio. Horum primus, nempe pleuritis, ſymptomata nonnunquam adeo hepatitidis ſimilia edit, ut utra adſit, attentione haud parva dignoſcere opus eſt: Et revera illa pro hac tractata fuit, cujus

cujus Cullenus noſter ingenioſus in praelectionibus ſuis exemplum praebet. Tametſi hujuſmodi ab errore, quoniam utrique methodus medendi fere eadem eſt, paululum periculi oriri poſſit, nihilominus illas ſecernere ſatius eſſe duco. Si animum rite ſymptomatis attendamus, vix unquam in dubio erimus; niſi forſan et haec et illa ſimul adſint, quod quidem fieri poſſit; nonnullae namque cauſae, quae unam, alteram quoque efficere valent. Pleuriticus plurimum doloris in latus affectum decumbens ſentit. Hic inſpiratione gravior evadit, adeo ut reſpirare videatur diaphragmatis auxilio, cujus ſola fere cauſa eſt, quod adeo ingraveſcit dolor motu muſculorum intercoſtalium. Res nunquam fere non aliter in hepatitide ſeſe habet. Namque in latus ſiniſtrum decumbens maxime aegrotus dolet, ac reſpirationem minus difficilem ſentit. Hanc quoque magis muſculi, qui inter coſtas ſunt, quam diaphragma, quod, inſpiratione plena, deſcendens, hepar premit, doloremque excitat, efficere videntur. Dolor

cla-

claviculam petens, quo tam ſaepe hepatitis ſtipatur, rarius in pleuritide ſubeſt. In illa plerumque tuſſis ſicca; in pleuritide frequentius humida. Praeterea, in hepatitide facies plerumque pallida, plumbeumque colorem referens; in pleuritide florida eſt, atque ſaepe plus minuſve oculi inflammantur. In pleuritide raro vel nunquam adeſt vomitus; ſed hepatitidis ſymptoma admodum frequens eſt.

Hepatis inflammationem a gaſtritide ſecernimus, praecipue dolore in hoc morbo magis ventriculi regionem vexante, febre typi typhoidis, atque vomitu, qui tam ſaepe citoque aliquo in ventriculum recepto, movetur. Dolor quem efficit enteritis praecipue regionem tenet umbilici, et, gaſtritidis inſtar, inſigni debilitate ſtipatur; ad hoc, alvus pertinaciter adſtricta eſt. Cum inflammantur integumenta, dolor preſſura etiam leviſſima augebitur, ac plus minuſve rubedinis fere cerni poteſt, praeſertim ſi muſculi externi afficiuntur: Quorum ſi interiores inflammationis ſedes ſint, unaquaeque

corporis poſitio qua extenſi fiunt, illa, veluti horizonti reſpondente, vel in latus contrarium propenſa, dolorem adaugebit. Tuſſis et vomitus hic non aderunt. Cuiquam in dubio fore de diagnoſi hepatitidem inter et ſplenitidem, colicam, vel peritonitidem, vix duco. Quoad colicam vix pyrexia ſtipatur: Caeteroſque nec vomitu, nec apud claviculam dolore, notare tantum opus eſt.

CAUSÆ REMOTÆ.

Has in praediſponentes excitanteſque dividere licet.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Omnis cauſa eo ſpectans quo inducat ſtatum illum corporis, cui nomen diatheſeos phlogiſticae

phlogiſticae inditum, ad hunc aeque ac alios morbos inflammatorios proclivitatem efficiens haberi debet, qualis victus liberalis, uſitatae evacuationes obſtructae, &c. At cauſae praediſponentes ſunt quae ſedem in hepate ipſo tenent, quales concretiones, tuberculaque ſchirroſa. Hae mechanice quaſi agunt, hujus organi vaſa impediendo, qua ratione adeo irritabilia fiunt, ut levis cauſa excitans morbum inducere queat. Cauſas inter praediſponentes etiam febres intermittentes, quae fortaſſe omnium frequentiſſimae, recenſere liceat. In omni ſtadio frigido, ſanguis in vaſis hepatis, quae inde diſtenta irritabilitatem ſibi adſciſcunt, quae morbida dici poteſt, accumulatur. Hac congeſtione fiet redundantia bilis, quae, vel quantitate vel ſibi propria qualitate, non parum irritationis producere poteſt. Sic, ut videmus huic aeque ac aliis hepatis morbis, incolae plagarum calidarum, calore bilis ſecretionem promovente, praecipue obnoxii ſunt.

CAUSÆ

CAUSÆ EXCITANTES.

Hae praecipue ſunt exercitatio gravis, frigus, vel interne per ventriculum admotum, vel externe corpus dum calidum in aquam frigidam immergendo, vel denique frigus quocunque modo tali applicatum, qualis ſpaſmum in ſuperficiem inducere queat: Hoc enim effecto, ſanguis neceſſe in partes interiores, ac praeſertim hepar, recedet, ubi primum congeſtio fiet, atque inde inflammatio. His, vim externam, quales ictus in hepatis regionem, lapſus, fractumve cranium addere licet. Quomodo vis externa inflammationem excitet abunde conſtat; quem vero effectum praeſtet fractura cranii mihi quidem perobſcurum videtur, et ſane rem credo perdifficilem fore hunc nexum cranium inter heparque explicare. Auctores memorant hujus morbi cauſas eſſe pathemata animi; ſed quomodo

modo effectum ſuum edunt, nullus, quantum cognovi, rationem claram aperuit. Profecto haud facile explicatu. Pathemata excitantia, aiunt, actionem ſyſtematis ſanguiferi adaugent, atque ita inflammationem inducunt: Dum deprimentia ſanguinis circuitum tardum languidumque reddendo agunt, et ſic congeſtionem in hepatis vaſis promovent. Fundamento quam ſtabili explicatio haecce innititur dijudicare nequeo: Attamen pathemata, aut haec, aut illa, rariſſime hepatitidem adferre, opinari magnopere adducor. Species hujus morbi chronica acutam facile progignere poſſit, quae videtur ſedem tantummodo in membrana veſtiente habere, dum illa parenchyma, ſeu partem hepatis internam, tenet.

RATIO SYMPTOMATUM.

Quandoquidem plurium ſymptomatum non opus eſt explicatione, haec ſolum quae

quae definitio continet, tractare mihi in animo eſt.

Hypochondrii dextri tenſio et dolor.—Unaquaeque pars corporis inflammatione laborans hoc modo afficitur. In omni caſu a nimia vaſorum tenſione pendet, quae ita ſenſilitatem inſolitam acquirunt.

Saepe pungens pleuritici inſtar, ſaepius obtuſus.—In hac morbi ſpecie, dolor, ut opinor, plerumque acutus eſt ; ſiquidem obtuſus ſit, eſt, cur timeremus morbum in parenchymate vel hepatis ſubſtantia ſedem habere, quam, ut modo diximus, ſpecies chronica tenet : Huic parti parum ſenſilitatis ineſſe notum eſt, ideoque dolorem obtuſum eſſe oportet. Quocirca hunc dolorem pleuritici inſtar ſemper, ac ſolum in ſpecie acuta ſubeſſe ; at prout ſedes inflammationis facies ſit ſuperior vel inferior, gradu differre, et, inferiore ſolum affecta, minus intenſum eſſe, duco.

Dolor

Dolor ad claviculam et ſummum humeri dextri.—Hujus ratio apta adhuc non reddita: Auctores alii alias explicationes in medium protulere. Nonnulli communicationi nervos inter dextri lateris, phrenicos et cervicales, factae, dum alii quibuſdam oſcillationibus a peritonaeo inflammato, pleurae et ita claviculae impertitis, attribuerunt. Dicunt quoque alii a quadam adhaeſione hepar inter et diaphragma facta (quod ſemper fere ſe habet) pendere, illiuſque pondus hoc deorſum trahere, atque ita per mediaſtinum contiguum claviculae dolorem communicare; quod mihi videtur explicatio veriſimillima.

Decubitus in latus ſiniſtrum difficilis.—Ita poſito corpore, hepatis ligamenta, idque potiſſimum quo coſtis falſis nectitur, diſtenduntur: In omni fere caſu, plus minuſve inflammantur, ideoque diſtentionis etiam minime impatientes.

Dyſpnoea

Dyſpnoea et tuſſis ſicca.—Spirandi difficultas, affecta hepatis facie ſuperiore, praecipue moleſta eſt, quo in caſu inflammatio quaedam, ut veriſimile videtur, ſepto tranſverſo vicino impertitur, quod inde motus illius reſpirationi liberae proprii impatiens fit. Eadem ratione diaphragma pulmones irritare, et ſic tuſſim movere poſſit; quae tamen non ſemper ſicca; namque excretionem, praeſertim ſi irritatio inſignis ſit, a bronchiarum folliculis mucoſis auget, atque interdum humida fit.

Vomitus et ſingultus.—Ventriculus organum eſt, quod, quippe ſumma ſenſilitate praeditum, irritatione leviſſima affici poteſt: Quoniam ſub hepate proxime poſitus eſt, vomitum ab inflammatione ei impertita, vel ſolum ab irritatione pendere probabile eſt. Irritatione parva nauſea tantum, majore autem, ſuberit vomitus. Interdum motus ipſius duodeni periſtalticus invertitur, quam ob cauſam bilis quantitas ejicitur.

Nil

Nil aliud ſingultus eſt praeter diaphragmatis motum convulſivum, ideoque unaquaque irritatione inſigni inducendus. Hic praecipue adeſt affecta ſuperficie convexa; contactu, vel irritatione effici, aut ab adhaeſione, quae diaphragma impediet ne rite ſurſum trahatur, pendere poſſit.

CAUSA PROXIMA.

De inflammationis cauſa proxima inter auctores, qui de rebus medicis ſcripſerunt, multum certatum eſt: Alii longe aliter illam explicarunt. Horum varias recitare ſententias, quarum nonnullae maxime fuere hypotheticae, omneſque reprehenſione dignae, moleſtum non minus ac ſupervacaneum foret. Una fortaſſe breve per tempus celebratur, caeterum, non multum poſt, illius errore patefacto, et huic alia ſuffecta, reſpuitur, mox ſua vice ſortem eandem ſubitura. Sententia potiſſimum ab errore

libera haec eſt Culleni clar. quae, ſi non prorſus perfecta, melius tamen quam ulla alia in lucem edita, inflammationem comitantia, explicat, ſcilicet, ‘ arteriarum extre‘marum ſpaſmus actionem auctam ſuſti‘nens.’ Talem vaſorum ſtatum extare ab excretionibus ſudoris et urinae, ut in febre, diminutis, colligere fas eſt. Quinetiam his principiis remediorum modi operandi, quae ad inflammationem curandam efficaciſſima reperta ſunt, rationem reddere poſſumus. Itaque vaſorum extremorum ſpaſmum hepatitidis cauſam proximam ponere mihi videtur; exinde hunc morbum, ſedem ſolum in ramis arteriae hepaticae habere, fere concludere liceret: Cum vero in memoriam revocamus portarum venam, hepar introientem munere arteriae fungi, et, uti vult etiam Monroius ipſe cel. nemini ſcientia in anatomica ſecundus, ſtructura arteriali gaudere, quin illa quoque efficiatur, dicere non poſſumus; ubicunque enim fibrae ſunt muſculares, ibi ſimul irritabilitas ſuberit. Boerhaavius, ejuſque interpres

terpres ill. Van Swieten, venam portarum affici quoque cenſent: A quibus autem diſſentiunt auctores complures, inter quos Cullenum eruditiſſimum, cujus opinio in omni controverſia plurimum valet, numerare licet. Cum tanti inter ſeſe viri adeo diſcrepant, quis rem tenet, diſcernere perdifficile eſt. Fibrarum muſcularium in vena portarum demonſtratio rem ſolummodo enodare poteſt.

PROGNOSIS.

Hujus morbi prognoſin facientibus, quiſnam inflammationis gradus ſit, et quamdiu extiterit, nobis perpendendum. Si nulla reſolutionis ſymptomata ante diem decimum ſeſe oſtenderint, eſt cur abſceſſum formandum periculum inſigne portendens timeremus, eoque magis ſi ſuperficiem teneat concavam; namque pus in abdominis cavitatem veriſimiliter effundetur, brevique illic ſtagnans, tam acre evadet ut inteſtino-

rum

rum ventriculique tunicas erodat: Praeter hanc finem infauſtam, timoris etiam cauſa erit ne pus in ſyſtema abſorbeatur, et ſic febris hectica excitetur. Attamen caſus hoc modo finem facientes non infauſte terminare relati fuerunt. Cullenus cel. hepatitidis in praelectionibus exemplum reddit, cui, diaphragmate eroſo, materiae purulentae expectoratio feliciter finem impoſuit: Nihilominus felices exitus tales certe perpauci ſunt; ſic, me judice, vix in ullo abſceſſus caſu nobis fundamentum erit eventum felicem fore credere, niſi quod tumor extrorſum ſeſe projicerit. Atqui, ſi morbus inter ſex ſeptemve, poſt impetum, dies, vim ſuam minuat, et evacuatione inſigni, ut ſudore copioſo, urina turbida, &c. comitetur, tunc quicquid felix fauſtumque ſperare liceat. Singultus, ſi vehemens ſit, infauſtus haberi debet. Sitis violenta, extremorum algor, dum partes internae calidae ſentiuntur, ſudorque circa faciem et cervicem, periculum maximum praedicunt. Superveniente gangraena, mors ſolummodo aegrotum

grotum miſerum a malis, quibus laborat, eripere poteſt.

METHODUS MEDENDI.

Huic morbo medendi methodus in conſiliis ſequentibus contineri poſſit.

1mo, *Reſolutionem efficere; et, ſi hoc fieri nequit,*

2do, *Suppurationis effectibus, quantum fieri poſſit, occurrere.*

3tio, *Symptomata quae potiſſimum urgent levare.*

Conſilio primo accommodatur quicquid ſanguinis impetum minuat, vel vaſorum extremorum ſpaſmum tollat.

Hic regimen antiphlogiſticum maxime neceſſarium eſt, quo neglecto, remedia alia parum pollere veriſimile eſt. Quicquid igitur

gitur ad vaſorum ullo modo actionem augendam ſpectet, qualis diaeta ſtimulans, nimius calor externus, caute evitandum. Venaeſectio, et generalis et topica, plurimum valet, ac quo citius eo melius fit: Et copioſe mitti debet ſanguis; namque detractione ſubita vaſorum tenſio magis minuitur. Utrum venaeſectio repeti debet, aegroti vires, reſque aliae, optime monebunt.

Nonnulli brachio dextro ſanguinem detrahi jubent; ſed, quam ob cauſam, hoc alteri anteponendum non mihi conſtat. Effectus boni quos edit venaeſectio topica nunquam non patebunt. Cucurbitulis cruentis aut hirudinibus uti licet, quibus hypochondrio adhibitis, illius dolor tenſioque citius quam quovis modo alio tolli poſſit.

Quaedam ex remediis quibus nomen *Refrigerantia* inditum eſt, qualia acida, ac praeſertim ea quae vegetabilia ſunt, e. g. aurantia dulcia, aliique fructus ſubacidi, ad actionem ſyſtematis minuendam maxime idonea ſunt. Sal nitri, ſicut refrigerans multum, nec opinor, ſine cauſa laudatur:

Quoniam vero pleriſque, ſub omni fere ſpecie, ingratum, adeoque facile nauſeam excitat, ſic hoc in morbo, cujus interdum vomitus ſymptoma tam urgens, vix recipi exiſtimo. Contra, acida jam memorata aegroto grata erunt, quippe quae ſitim ſaepe moleſtam reſtinguent, tum ſimul alvum ſolutam dabunt.

Hic, purgantia, quaſi ad vim ſanguinis circuitus imminuendam, ſpaſmumque inteſtinorum vaſa afficientem amovendum, idonea memorantur: Si tamen ex his ulla recipiantur, mitiſſimi generis praecipue eſſe oportet, qualia manna cum ſale rupell. crem tart. vel infuſ. tamarind.

Purgantia draſtica hic manifeſte injuriae forent; et quidem, me judice, haec magna ex parte, enemata laxantia et emollientia, inutilia reddunt; haec namque inteſtina omni materia faeculenta, quod ſtimularet, expurgant: Praeterea qualitate ſua inteſtinum laxandi fovendique opem ferunt, et ſic organo affecto per coli medium effectus bonos impertiunt. Fomenta calida parti admota,

mota, et emplaſtra epiſpaſtica, multum proſunt. Fomentum vaſa conſtricta nimiſque diſtenta laxando, ad ſuperficiem derivationem efficit, atque ſic ſpaſmum plus minuſve adimit. Sed etiam efficaciora ſunt epiſpaſtica; quia illis eſt poteſtas vaſa altius poſita afficiendi, quam ob cauſam in unaquaque fere inflammatione interna utilia ſunt. Igitur hoc in morbo, ſanguine detracto, ea, iterum iterumque, donec boni eorum effectus ſeſe oſtenderint, adhibere licet. Quo propius parti dolenti adhibentur, eo effectus meliores expectandos obſervare vix opus eſt.

Potiones tepidae, lenem excitando diaphoreſin, hic maxime idoneae videntur; at quantitas in ventriculum recepta mediocris eſſe debet, quia diſtentione ejus hepar irritabitur. Quod ad diaphoreticorum fortiorum exhibitionem attinet, ea admittere nollem, prius ſaltem quam quoddam relaxationis ſignum ſeſe in ſuperficie oſtenderit; inde, quae nauſeam non movebunt ſeligere oportet. Hauſtus ſalinus idoneus erit.

Eme-

Emetica quovis modo exhibita parum accommodata videntur: In doſibus plenis, hepar agitando, ſemper nocebunt; et in doſibus nauſeam moventibus, ea, propter ventriculi irritabilitatem, illic non ſat diu manſura, ut felices praeſtent effectus, veriſimile eſt.

Secundo conſilio, ſcilicet, *ſuppurationis effectibus occurrere*; quicquid puris exitum paret, accommodatur. Si externe ſe projicerit abſceſſus, hoc operatione chirurgica fieri poteſt: Si res non ita ſe habet, veriſimillimum eſt pus in abdominis cavitatem exoneratum iri. Hoc in caſu periculum inſigne eſſe jamjam notavi; probabiliter febris hectica ſuccedet, aegrotum e medio ſublatura; cui ideo, cortice Peruviano, in ſubſtantia et doſibus quam maxime largis, adminiſtrato, caute ac prudenter occurrere oportet. Quibuſdam etiam e ſalibus neutris acidiſque uti licet: Quoniam ad febrem hecticam alleviandam haec pollent, hic etiam utilia fore concludimus. Vinum

quoque ad aegrotum viribus jam confectum alendum exhibeatur.

Quod ad conſilium poſtremum attinet, *nempe, ſymptomata quae potiſſimum urgent, levanda*; haec praecipue vomitus et ſingultus ſunt. Vomitum ad ſublevandum, remedia nauſeam moventia vitanda, niſi a bilis quantitate in ventriculo pendere videatur, quo ſolum tempore emeticum tenue exhibeatur. Vomitioni hauſtus effervefcens feliciſſime obviam it.

Singultus nonnunquam admodum moleſtus eſt et violentus, quidem funeſtus habendus; quapropter quam maxime nobis ſublevandus eſt: Hoc optime efficere opio poterimus; quod, ſi id reſpuit ventriculus, injectione per anum adhibeatur. At, niſi vim ſuam amiſerint ſymptomata febrilia, non officere non poteſt; enimvero diatheſin phlogiſticam augebit. Caeterum, ſi hoc ſymptoma graviſſimum eſt, utcunque cadat, doſin parvam admovere auderem.

Denique, ad hepatitidem curandam mercurius ab iis, qui artem medicam in Indis Orientalibus

Orientalibus exercuerunt, remedium ſpeciale laudatur. Quatenus autem, in ſpecie hujuſce morbi chronica, admotus, quae credo ibi frequentiſſima graſſatur, hanc laudem meretur; acutae accommodatum non equidem exiſtimo: Plerumque remedium ſtimulans eſſe conceditur; unde huic, non ſecus ac cuique inflammationi acutae, injuriae fore, cenſere adducor. Ad hepatis obſtructiones amovendas, remedium eſſe efficaciſſimum, nemo inficias ibit.

FINIS.